XV
VENDR
1601.


827


8











FRANCISCI
CAESARIS AVGVSTI
MVNIFICENTIA.

1127

XV

VENDR.

1601


QVOD HOMO
SIT PARVVS MV̄DVS
DISPVTATIO
TRIBVS CAPITIBVS CŌPREHENSA
PROPOSITA
AB ANTONIO VENDRAMENO
CIVE VENETO
ILL.mo DD. FRANCISCO VEN=
DRAMENO EQVITI PA=
TRICIO VENETO
DICATA.
PA. ANÕ D
M.D
CI



ILLVSTRISSIMO D.D. Francifco Vendrameno Equiti, Patricio Veneto, Et Senatori Ampliff.

ANTONIVS VENDRAMENVS CIVIS VENETVS FOELICITATEM.

INualuit confuetudo (vir Illuftrisfime) nè finè patrono aliquis in aciē difputandi prodeat, ea profectò

laudabilis, atq; insignis, quandò-
quidem nihil magnum sinè au-
spicio: id igitur, & ego præstitu-
rus non alium mihi patronum
deligere debui, quàm te vnum;
etenim si humanitas spectetur
omnium humanissimum te om-
nes norunt; si litterarum, & litte
ratorum amor, te litteratissimũ,
& litteraturæ amantissimum
prædicant, si claritas sanguinis,
nemo eam ignorat: tu quidem
in ea es natus familia, quæ inter
Venetas semper apprimè flo-
ruit, cuius si præstantissimos om
nis ordinis viros velim recense-
re, non epistolam, sed historiam

conficere oportebit, in Serenissima enim Veneta Republica nullus est dignitatis gradus, quo tui maiores non fuerint cohonestati. Non quidem è memoria excidit, quot, & quales Reipublicæ Procuratores in ea floruerint; neq; ignotũ est qualis Princeps in eadem Rep. fuerit Andreas Vendramenus, quales extiterĩt plurimi ciuitatum præsides, quales tandem in omnibus Reip. magistratibus sustinendis se se omni tẽpore Vendrameni præstiterint, adeò vt Vendramenæ Familiæ splendor nunquàm interruptus conspiciatur. Quòd si

ad te ipſum me conuerto in te vno collecta videtur omnis tuorum maiorum dignitas. Tu quidem, cùm primum per ætatem, & legem eſt conceſſum, tùm primum ſummis honoribus cumulari incœpiſti, quos adeò grauiter, & ſapienter ſuſtinuiſti, vt sẽper ad maiores ſis prouectus; in patria maximos omnes ſuſtinuiſti; pro patria legationes omnes ad maximos Principes perfeciſti, ità vt vix vna perfunctus ad aliam fueris ſubitò electus, vti nunc miro omnium conſenſu ad Sanctiſſimum Clementem Octauum Pontificem Ma

ximum orator es deſſignatus, quocircà digniorem te ipſo neminem poteram inuenire. Accedit autem peculiaris, & debita noſtræ domus in tuam, & in te ipſum propenſio, ac reuerentia, & præſertim patris mei in te vno obſeruando ſtudioſisſimi, hæc itaquè omnia effecerunt, vt tibi has dicarem poſitiones, in animum facilè inducēs meum, te hilari vultu eas eſse recepturum; quod vt facias te etiam, atq; etiam rogo, atq; obteſtor. Vale Vendramenae nobilitatis eximium decus. Patauij Antenoris Menſe Iunij MDCI.


NIL INVITA MINERVA

PERILLVSTRI, AC ERVDITISSIMO IVVENI Antonio Vendrameno.

Toldus Constantinus Serrauallensis.





Ictus in effigiem Magni Rectoris Olympi
Est homo, cui Mundi forma minoris inest.
Sic ais: Unde tibi succenset maximus Orbis,
Hoc ē Flāma vorax, Æthraq; Puluis, Aqua?
Nam tua Nereides nolunt absumere scripta;
Illaq; visceribus condere Terra negat:
Non humeris fert illa suis agitabilis Aer;
Nec poni suffert Ignis in ore suo.
At quid? si clarum nomen per sæcula cūcta
VENDRAMENE tuū paruulus Orbis alet?

*

AD NOBILEM,

ET SAPIENTEM IVVENEM


Antonium Vendramenum

Defendentem Hominem eſſe Paruum Mundum.


Epigramma.

HIERONYMI J.





Vm Paruum effingis Mun
dum Theoremate ſplendet
ANTONI, in libro Mun
dus vterque tuo.
Condita viſceribus retinet
ſua munera quisque,
At te nulla latent, pandis utrique ſua.
O ſi fortè tua hæc donet pagella duobus
Mundis, æternum uiuere, non es homo.



Ad Eundem Academicum Stabilem DISTICHON.

Eiusdem.



Il volat, ANTONI, Fugiente velocius orbe;


Tu tamen es STABILIS Mundus; at esto diu.



AD NOBILISSIMVM
ADOLESCENTEM
Antonium Vendramenum
Defendentem Hominem esse Paruum Mundum.


Epigramma.

Seuerini Constantini Serrauallensis.





IVA Hominem Parui Mundi Simulacra referre,
Qui neget, ANTONI, nullus, opinor, erit.
Ambiget ast is, qui te dicentem audiat, vtrum
Paruus sis Mundus, Magnus an ipse Sophus.



QVOD HOMO sit Paruus Mundus.

DISPVTATIO TRIBVS CAPITIBVS Compræhensa Proposita.

A B

Antonio Vendrameno

Ciue Veneto.

CAPVT PRIMVM.



.I.



HOMINEM esse paruum mundum est sententia adeò latens in ipsa vetustate, ut cuius auctoris primò fuerit, ignoretur, & quasi è naturæ gremio

prodiisse credi posit : magna autem est hominis excellentia , nequè enim uno tantum modo similis mundo est homo, sed & ratione corporis, & ratione animæ, & ratione propriæ operationis.

2.

Si mundum in propria sui constitutione contemplemur, is rectè definitur in lib. de mundo , quod est moles congesta ex cœlo , terra, & intermediis naturis : intermedias autem naturas uocat, definiens, alia tria elementa ; & rectè posita est definitio nominando Cœlum, & Terrã, quià mundus essentialiter est figura circulari constitutus, in circulo uerò , duo sunt essentialia, circunferentia , & centrum, circunferentia Cœlum ponit, centrum terram.

Est

3.

Eſt uerò Cœlum corpus compoſitum ex materia, & forma, cuius materia eſt diuerſa à materia inferiorum, cuius forma eſt anima, quæ eſt illius natura.

4.

Mouetq; hæc anima cœleſte corpus effectiuè intelligendo, & amando Intelligentiam, quæ ſingulo orbi eſt præpoſita, & mouet tanquàm amata, et deſiderata.

5.

Motus Cœlo proprius eſt motus circularis, qui non poteſt conuenire alteri corpori ſimplici uniuerſum conſtituenti, quatenus illud conſtituit aut ſecundum naturam, aut præter naturam.

6.

Licet uerum ſit ignem in propria ſphæra moueri in gyrum præter naturam.

7.

Iſtud corpus non eſt obnoxium generationi, aut alterationi, etenim caret illis qualitatibus, ratione quarũ eſt generatio, & alteratio, & ſunt quatuor primæ qualitates, calidum, frigidum humidum, & ſiccum, quibus elementa habent ſuum eſſe ſubſtantiale, ità vt prorſus vanum ſit cogitare alïas formas innominatas iſtis ſuppoſitas.

8.

Quatuor ex materia reſultant ſimplicia corpora, quoniam quatuor tantum poſſunt eſse vtiles iſtarum coniugationes, et hæc elementa, nuncupan-

cupantur duplici ratione: Primo in ordine ad ipſum mundum, quod in eſſe corporeo conſtituuntur ſimul cum Cælo, Secundo in ordine ad mixta, omnia enim corpora ex iſtis ſimul temperatis producuntur.

9.

Dicuntur ſimplicia, quia ex pura materia prima, & forma ſimplici cōponuntur, vndè ſimplicia appellantur non ſimpliciter, ſed in ordine ad alia corpora.

10

Quæ ità ex illis componuntur, vt omnia in omnibus mixtis reperiantur formaliter, & verè, quià mixtio eſt miſcibilium alteratorū vnio.

11.

Ex iſtis igtur quinq; corporibus primò fit integritas mundi, ſub qua

ratione

ratione mundus eſt ſuprà definitus, aliter autem conſideratur poſteà mũdus, prout ſcilicet omnia amplectitur, & ex omnibus naturalibus eſt conſtitutus.

12.

In hac conſideratione acceptus mundus continet omnes rerum ſpecies, quæ quantum ad eſſe corporeum ità diuiduntur, quod aliæ sunt mixtæ ſolum, aliæ verò mixtæ, & disſimilariter conſtitutæ. Species ſolum mixtæ ſunt lapides, & mineralia. Dimitto enim nunc affectiones Meteorologicas, quæ ſolent mixta imperfecta appellari.

13.

Species mixtæ, & disſimilares corporum ſunt corpora animalium, & plantarum, in quibus ex multis

mixtis

mixtis ſimilaribus partibus vnum corpus inſtrumentarium eſt conſtitutum, adeò vt eſse corporeum in mundo ità ſit plenè diſtributum, uel ſimplex, vel compoſitum ex ſimplicibus, & ſi compoſitum ex ſimplicibus, vel ſolum mixtum, & ſimilare, uel mixtum cum adiunctione disſimilaritatis.

14.

Homo itaq; quantum ad corpus rectè dicitur eſse paruus mundus, quià omnem hanc naturam in se continet, quaſi quidam Epilogus omnium naturalium corporum.

15.

Continet quidem ſimplicia corpora non ſolum quià ex illis eſt conſtitutus, ſed etiam quià pro ſenſionis munere obeundo qualitatibus orga-

nicis

nicis utitur, quæ ad ſimplicia corpora referuntur, ſi quidem uiſus ſit interuentu aqueæ perſpicuitatis, auditus interuentu facultatis tranſonoræ, qua præditus eſt aer.

16.

Conditionem mixtionis quæ in ſimilaritate conſiſtit non minus ſeruat quandoquidem ex partibus ſimilaribus, vt carne, et huiuſmodi eſt compoſitus: ob præſtantiam autem mixtionis omne aliud genus inferiorũ mixtionum in ſe continere videtur, ſi quidem excellentius in quolibet genere virtute continet totum eiuſdem generis.

17.

Similiter corporeitatem habet diſſimilarem præſtantisſimam; quippe què nobilius ſe habeat ad formatio-

nem

nem, quandoquidem animæ intelle-ctiuæ eſt ſedes, & non ſiſtit in ſola forma, quæ vegetet, & ſentiat, ſed extollitur ad gradum eminentisſi-mum, poſtquam vltrà formam intel lectualem nulla eſt alia forma.

18.

Et propter hoc Cœli ſubſtantiam videtur homo ſuo corpore imitari, quandoquidem adeò præſtanti corpo ris natura eſt præditus, vt diſpoſitio nem habeat ad ſuſcipiendam formã intellectiuam. qua etiam coelum mo uetur.

19.

Non enim verum eſt, quod po-ſuit Auicenna, & quod etiam Sim plicius aliquando viſus eſt dixiſſe coelum eſſe anima ſenſitiua informa tum, etenim ſenſus in coelo fruſtrà

B ponun-


ponuntur, neq; enim animæ, neq; corpori coelesti conferunt: non corpori, quià non indiget non animæ, quià non intelligit sensibilia, sed intuetur substantias separatas.

20.

Neq; est necessarius sensus propter reuolutiones coeli renouandas, quandoquidem non sunt multæ numero distinctæ reuolutiones, sed vnica numero est, quæ fuit, quæ nunc est, & quæ posteà erit.



CAPVT SECVNDVM.



21.



Vemadmodum præſtantior eſt forma, quàm ſit materia, & Anima, quàm ſit corpus, ità præſtantius homo quã tum ad Animam mundo ſimilis eſt, vt ideò paruus mundus nuncupetur.

22.

Multiplex ſanè in mundo genus formarum reperitur, ſunt formæ ſimplices, quibus elementa conſtituuntur, ſunt formæ compoſitæ, ſunt for-

mæ instrumentariæ, sunt tandem formæ separatæ à materia; quod si hominis anima omne formarum talium genus complectatur, non est dubium, quin rectè ratione animæ homo paruus mundus nuncupetur.

23.

Formarum simplicium hæc est conditio, vt prima corpora componat, ex quibus in vniuerso dispositis mundus constituitur, et ex quibus omnia alia oriuntur, has formas includit anima hominis, quandoquidem in ea sunt formæ inferiores eo modo, quo triangulum in quadrangulo reperitur.

24.

Ideò definiebat Arist. animam quod esset actus corporis naturalis, instrumentarij, & declarabat, cur

diceret corpus naturale, quia. ſ. haberet in ſe principium motus, et quietis: motus verò & quies in ſublunaribus omnibus eſt ſecundum participationem elementorum, ità dicebat Ariſt. mixta omnia moueri ſecundum prædominans elementum, quocircà in anima oportet includi has formas.

25

Quemadmodum etiam de mixtionis forma è dicendum, ſiquidem ex temperie primorum corporum reſſultat in homine temperatura, ſecundum quam differt ab omnibus alijs mixtis, differentia verò ex forma prouenit, quare mixtionis formam in hominis forma incluſam agnoſcimus.

26

Nequè obstat, quòd istis sic positis, uideatur anima esse forma composita, neq; enim dubitandum est, quin hoc sit uerum, quandòquidem non est inconueniens cõponi formas tanquam vnum actum integrum, ex pluribus actibus partialibus, quorum anteriores se habent ad subsequentes, quasi ad modum materiæ, immò, quantò sunt compositiores formæ, tantò videbuntur perfectiores, quià tantò magis à materia distabunt.

27

Post istas succedit forma vegetabilium, quæ est anima tribus prædita facultatibus, nutritiua, auctiua, & generatiua, ex quib. nutritiua est prior natura, generatiua prior perfectione, quarè illã non habent, nisi per

fecta

fecta animalia, vndè nullum ex illis, quæ generantur ex putredine habet vim generandi.

28.

Definiuntur hæ tres facultates hoc pacto, nutritiua eſt virtus primæ animæ conſeruatiua eius, quod eam habet in indiuiduo: auctiua eſt virtus prinæ animæ qua id, quod eã habet ad perfectam reducitur quantitatem, in qua poſſit proprias perficere operationes: generatiua verò eſt vis primæ animæ conſeruatiua plantarũ et butorũ animaliumin ſpecie.

29

Quæ omnia fiunt interuentu caloris, vt inſtrumenti, nutrimenti uero tanquam obiecti, ex cuius tranſmutatione (per calorem factam) omnia iſta opera, adimplentur, etenim ſemmen,

ſemmen, quod eſt proximum inſtrumentum generationis, nihil aliud eſt, quàm benignum excrementum vltimi alimenti.

30

Accedit huic animæ alia pars, quæ ſenſitiua nuncupantur, quæ facultatibus exornata eſt paſsiuis, ſi quidem ſentire eſt pati, neq; enim viſiua uirtus uidere poteſt, niſi patiendo ab obiecto, vndè non eſt uerum fieri viſionem per aliquem egreſsũ ab oculo, ſed fit potius per ingreſſum, ſi nominemus ingreſſum alterationem facta ab obiecto, quod uocant recipere ſpeciem.

31.

Nec aliquis obiiciat non eſſe neceſsariam hanc alterationem ab obiecto, quià experiamur, quòd dum dor-

dormimus, & ſomniamus videmus aliquos, quos alloquimur, qui non ſunt præſentes, etenim hoc eſt opus imaginationis, quæ impreſſa illis ſpeciebus reflectitur ſuprà ſenſus, & eſt cauſa illius apparentis viſionis.

32

Senſus omnes, qui eſſe poſſunt sũt ſolum quinq; qui terminant in vnã facultatem communem, quæ ſenſus communis appellatur, cuius quidem primum officium eſt diſcernere inter ſenſibilia diuerſorum generum, vt inter album, & dulce, veruntamen concurrit etiam ad faciendum iudicium de ſenſionibus ſenſuum particularium, et de ſenſibilibus communibus.

33

Poſt hanc virtutem eſt in anima

ſenſitiua imaginatio, quæ intellectus nomine aliquandò ſignificatur, quā dò quidem ipſi eſt ſimilis, etenim cū alij ſenſus non operentur citrà præſentiam obiecti ipſa multò magis operatur in obiecti abſentia.

34

Quòd verò anima humana hæc contineat, certum eſt, quandòquidē omnia opera vegetatiuæ in homine cernimus, & omnia ſenſitiuæ, continet autem tanquàm partes.

35

Immò iſtæ partes multò præſtantius ſe habent in anima intellectiua contentæ, quæ ſimpliciter poſitæ, præſtantius ſanè operantur, tantò ſanè præſtantius, quantò homo cœteris animalibus eſt præſtantior.

36

De ſenſitiua autem in anima humana contenta nulli dubium eſt, quòd ſit valdè excellentior, quandò quidem ſiſtunt in cognitione propria ſenſitiuæ aliorum animalium, ſenſitiua verò in homine ſit miniſtra intellectus, cum uerum ſit omnem noſtrã cognitionem à ſenſu ortum ducere.

37

Proximè verò miniſtra intellectus eſt imaginatio, ſiquidem neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari.

38

His ſuperuenit pars intellectiua, quæ omnium eſt præſtantisſima, poſſibili intellectu exornata, quo omnia poteſt intelligere, quandò quidem ipſe cum nihil ſit actu, eſt omnia poten

tia, et sic potest omnia fieri, ut intellectus agens potest omnia facere.

39

In hoc elucescit abstractio, si quidem non est mixtus cum corpore, & est separabilis.

40

Quocircà cum nihil sit in mundo formarum, quod in homine non inueniatur, rectè dicta est anima humana forma formarum, & rectè constitutum, quod homo quantum ad animam est paruus mundus.



Caput

CAPVT TERTIVM.



41.



EX his etiam satis liquet, quomodò quãtum ad operationẽ rectè homo paruus mundus appelletur, cum enim habeat intellectum, qui est omnia fieri, si illud informat in se ipso, tanquàm alium mundum cognoscendo construere potest.

42

Duo extrema entia sunt materia prima, & Deus, utrunq; cognitione per-

percipit iste intellectus, tanquàm prima mundi entia, neutrum tamen per speciem propriam, nam materia prima est infrà omnem speciem, Deus verò suprà omnem, sed materiam cognoscit per Analogiam, Deũ per motum Coeli.

43

Quo solum motu probatur esse substantiarum abstractarum, vt rectè Auer. adnotauit; nec uiæ, quas inuenit Auicenna, aut alii sunt secuti, sunt validæ, & idoneæ.

44

In duarum harum naturarum medio, omnia entia, quibus mundus componitur, sunt collocata, nihilq; est, quod cognitione ab intellectu non attingatur, cognoscit autem patiendo, vt etiam sensus; differt verò à sen

su,

su, quià sensus læditur à vehementi sensibili, intellectus potius perficitur.

45

Ratio est, quià sensus consistit in proportione organica, quæ cum sit mediocritas quædam omni excessu labefactatur; intellectus verò non est ratio organica, sed suprà omne instrumentum eleuatur.

46

Modus intelligendi ipsius est sensuum interuentu, sensus uero qui deseruiunt cognitioni sunt potissimum duo, visus, & auditus; auditus cognitioni, quæ fit per disciplinam, visus ei, quæ fit per inuentionem, vnde rectè Aristot. declarans propositionem quod omnes hoïes natura scire desiderent, afferebat pro signo s... suum

ſuum dilectionem, & viſus præci- puè.

47

Tactus autem non eſt ſenſus, ex quo aut diſciplina, aut inuentio pro ueniat, licet ſit ille ſenſus, à cuius præ ſtantia argumentamur de ingenio, quià pendet ex temperamento, quod quidem facit aliquo pacto ad mentis excellentiam.

48

Licetq; verſetur circà plures cō- trarietates, calidum, frigidum, hu- midum, ſiccum, molle, durum, & a- lias, tamen rectè dicitur, quòd anun ciat pauciores rei differentias, quã viſus.

49

His ſenſibus internunciis intelle- ctus cognitione peruadit omnia, ni- hil

hil enim eſt, quin ſit ſenſibile, aut per ſe primò, aut mediante aliqua ſui operatione, aut ſecundum aliquã ſimilitudinem.

50.

Dico ſenſibilem etiam materiam primam, quià tranſmutatio ad illam nos ducit; etiam Animam per ſuas operationes; etiam Intelligentias, & Deum mediante coeli motu, qui tamen non eſt prima illarum operatio.

51.

Etenim duplex genus operationis iſtis tribuitur, vel enim operantur in ſe ipſis, uel extrà ſe ipſas, operatio interna eſt intellectio; ad cuius cognitionem deuenimus per ſimilitudinem noſtræ intellectionis; operatio externa eſt coeli motus, per quẽ

D ordinan

ordinantur, & disponuntur omnia naturalia in vniuerso.

52

Est enim Coelum primum efficiens uniuersale omnium, sinè quo efficientia inferiora nihil agerēt; quemadmodum etiam illius motus, qui est motus circularis, est primus omnium motuum, tempore, natura & perfectione.

53

Cum dicimus causam vniuersalem non dicimus vllam essentiam vniuersalem de se existentem, etenim omne materiale est particulare actu, sed dicimus talem causam, quæ in ratione causandi omnia complectatur, tales causæ naturales duæ sunt, Coelum, & materia prima.

Quæ

54

Quæ quidem cauſæ non habent vim cauſandi ſinè cauſis particularibus, omne enim, quod fit, ſingulare eſt.

55

Intellectus verò ſenſu vtens, qui verſatur circà particularia, non tamen ſiſtit ipſe in particularibus, ſed diſcurrendo ſe ſe extollit ſuprà particularia, & uniuerſales eſsentias, quæ ſunt in pluribus particularibus abſtrahendo, in ſe ipſo conſiderat.

56

Intelligitq; particulare non reflexè, vt iſti dicunt, ſed directè, uniuerſale autem cognoſcit reflexus in ſe ipſum.

57

Quod Quidem uniuerſale non

poteſt attingere ſinè ope alterius differentiæ ipſius animæ , quæ eſt intellectus agens, qui ideò dicitur omnia facere,ut intellectus posſibilis dicitur omnia fieri.

58.

Qui posſibilis intellectus ultrà ſpeculationem, qua omnia intelligit,habet etiam uim practicã, prout intelligendo non ſiſtit in cognitione,ſed deſcendit ad opus,aut prudentiæ , aut artis.

59

Præſtantior tamen eſt actio illius contemplatiua,ſecundum quam habet eam fælicitatem,quæ in hoc ſtatu homini conceditur , quæ eſt operatio ſecundum mentem in uita perfecta , quemadmodum fælicitas actiua eſt operatio ſecundum prudentiam in

vita

vita perfecta.

60.

Cùm itaq; homo per intellectum intelligat quicquid in mundo reperiri poteſt etiam priuationes, et negationes, quæ ſunt non entia, mediantibus .s. habitibus, & formis, cumq; intellectus euadat id, quod intelligit, ità vt ſicuti ſenſus actu, & ſenſibile actu idem ſunt, ità etiam (et multò perfectius) intellectus actu, et intelligibile actu idem ſint; cum (inquam) per intellectionem intellectus omnia euadat, rectè dicitur, quòd homo per cognitionem intellectus eſt paruus mundus, ſi quidem per eamdem in omnia, quæ mundum complent, ſe ſe transformat.

FINIS.

DISPVTABVNTVR
Publice

In Florẽtiſſ. ac celeberrimo
totius terrarum orbis

PATAVINO

Gymnaſio
ſub fœlicibus auſpicijs
Magnifici D. D.
IVLII COESARIS
Federici Brixiani, Syndici,
& Vniuerſitatis DD. Scolarium Artiſtarum Prorectoris dignisſimi.
Anno ab effracto Serpentis capite MDCI. Menſe Iunii. Die & Hora

PATAVII,

Apud Laurentium Paſq.um

Typographum

Almæ Vniuer. Iuriſtarum.

Anno 1601.



Habita Superiorum

Licentia.